

Martini Truchses Magistri Prussiae recogni-
tio de concordia inita cum Casimiro Rege et
de compensatione damnorum per Polonos illa-
torum Datum in Castro Nydenburg ipso
die S. Venceslai Mart. Anno 1480. Ex Ori-
ginal. sigillum 1.

Nos Frater Martinus Truchsen Ordinis S. Mariae
Domus Theutonicorum Hierosolimitan Magister Ge-
neralis. Significamus tenore presentium quibus expedit
universis. Quod dum alius superiori tempore Serenis-
simus Princeps et Dominus D. Casimirus Dei gratia
Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae Russiae Prussiae
Dominus et hares etc. nonnullos Capitaneos cum exerci-
tibus suis in Terras Prussiae contra Reverendum Patrem
Dominum Nicolaum Episcopum Warmiensem et su-
bditos Episcopatus Warmiensis bellatores misisset, qui
quidem stipendiarii suae Maiestatis, praeter scientiam
ac voluntatem, ac contra prohibitionem suae Celsitudi-
nis. Nobis et subditis Ordinis nostri certa et non me-
diocria dampna intulerat, pro quibus complerandis per
medium Consiliariorum suae Maiestatis, cum Commen-
datoribus Ordinis nostri per Nos ad id deputatis, pro
Festo S. Jacobi proxime praeterito in Civitate Elbin-
gensi convenientibus hoc modo conventum est. Quod sua
Maiestas tua millia Honorum Hungaricalium No-
bis et Ordini nostro pro Festo Nativitatis Christi
proxime venturo dimidium, videlicet mille et quingen-
tos Florenos, et pro alio Festo Nativitatis Christi pro-
xime instanti dimidium summae, videlicet alios mil-

le quingentes Thonos hungaricales dare et realiter exsol-
vere, manualiterq; in Civitate Elbing reponere debebit
et tenebitur cum effectu prout in literis sue Maiest.
desuper confectis clarius est expressum. Nos vero hujus
modi compositionem et ordinationem gratam et ratam
habentes acceptamus, nostro et Ordinis nostri nomini-
bus promittentes occasione omnium pramissionum, Nos
hujusmodi summa esse contentos. Harum, quibus
subappensum est sigillum nostrum, testimonio literarum.
Datum in Castro nostro Nydenburg ipso die S. Ven-
ceslai Martyris Anno Domini. 1480.